



BEATIFICATIO
SERVI DEI
FIDELIS À SIGMARINGA

SACERDOTIS EXPRESSÉ PROFESSI

Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BEATORUM MARTYRUM, quos nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec persecutio, nec gladius à Charitate Christi separare potuerunt, sed loricā Fidei indutos, ac mucrone spiritūs (quod est Verbum Dei) accinctos, bono certamine peracto, cursuque feliciter consummato, victores post agō nem coronā justitiae donavit in Coelis justus Judex, gloriosos triumphos, ac trophæa in terris celebrari, devotâque Fidelium veneratione honori decet; ut qui Sanguinis sui pretio immortalitatem emerunt, illustriaque invictæ constantiæ, fortitudinis ac virtutis suæ exempla reliquerunt, infirmitatem nostram inter sæculi tentationes laborantem assiduâ suâ apud Deum, cui in Stolis candidis die ac nocte serviunt in templo ejus, intercessione juvare ac robore dignentur. Quam in rem pro pastorali nostro munere, quo Ecclesiæ Catholicae regimini divinâ Dispositione præsidemus, propensis studiis incumbentes, flagitantia idipsum Orthodoxorum Regum, & aliorum Christi Fidelium vota libenter exaudimus, prout ad gloriam Omnipotentis Dei, ad Christianæ Religio-



nis decus , Fideique Catholicæ incrementum , ac Sanctæ Mattis Ecclesiæ exaltationem cognoscimus in Domino salubriter expedire . Cum itaque maturè , diligenterque discussis & perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum processibus de hujus S. Sedis Apostolicæ licentia confectis super Martyrio & causa Martyrii Dei Servi FIDE LIS A SIGMARINGA Presbyteri expressè professi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum , qui olim à suis Superioribus Regularibus in Præfectum Sacrarum Missionum , quæ in partibus Rhætorum auctoritate eo tempore existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei Præpositorum tunc primùm institutæ fuerant , destinatus , cum in hoc munere Hæreticorum conversioni eximiam indefessamque operam navaret , ab iis vario telorum genere , in odium ipsius Fidei Catholicæ , anno M D C X X I I . crudeliter trucidatus , palmam Martyrii accepisse asserebatur , ac super signis , prodigiis , & miraculis , quæ ad manifestandam mundo finalem illius perseverantiam à Deo edita & patrata fuisse dicebantur ; prædicta Congregatio Cardinalium coram Nobis constituta , auditis etiam Consultorum Suffragiis , censuerit posse , quandocumque Nobis videretur , eundem Dei Servum publicè Beatum nuncupari cum solitis indultis . Hinc est , quod Nos piis atque enixis Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Catholici & Romanorum Regis in Imperatorem electi , & Charissimæ in Christo filiæ nostræ Elisabethæ - Christinæ earumdem Hispaniarum Catholicæ ac Romanorum Reginæ ejus Conjugis , nec non Venerabilium itidem Fratrum nostrorum negotiis Propagandæ Fidei hujusmodi Præpositorum , aliorumque dictæ S. R. E. Cardinalium , ac quamplurimum Germaniæ Antistitutum & Procerum , totiusque præfati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum , & nominatim Maximiliani à Wangena ejusdem Ordinis Professoris , hujusque Causæ Postulatoris supplicationibus Nobis & huic Sanctæ Sedi super hoc humiliæ porrectis benignè inclinati , de supradictæ Congregationis Cardinalium consilio & assensu , auctoritate Apostolicâ , tenore Præsentium indulgemus , ut præfatus Servus Dei FIDE LIS A SIGMARINGA in posterum Beati nomine nuncupetur , ejusque Corpus & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur , Imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur , ac de eo quotannis die felicis ejus transitu , seu aliâ die non impeditâ , illam immediate sequenti , recitetur Officium , & Missa celebretur de Communi unius Martyris , juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani . Porro recitationem Officii , & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo Ordine Minorum Sancti Francisci Capuccinorum utriusque Sexus , quem idem Dei Servus Martyrio illustravit , in loco de Sigmaringa , Diœcesis Constantiensis , Provinciæ Moguntinæ , in quo natus est , in Oppido Civitate nuncupato Friburgi , dictæ Diœcesis , ubi Regularem Professionem emisit , diuque versatus fuit , in Civitate Curiensi , ubi ipsius Corpus , ac Pago Veldekirchii , Curiensis Diœcesis , ubi ejus Cranium respectivè asservantur , ab omnibus utriusque Sexus Christi Fidelibus , tam Sæcularibus , quam Regularibus , qui ad Horas Canonicas tenentur , & quantum ad Missas attinet , etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesiæ , in quibus Festum peragetur , confluentibus . Præterea primo dumtaxat anno à datis hisce Literis , & quoad Indias , à die quo eadem Literæ illuc pervenerint , inchoando in Ecclesiis Ordinis , Loci , Oppidi , Civitatis , & Pagii præfotorum Solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio , & Missa sub titu dupli majori , die ab Ordinariis respectivè constitutâ , postquam tamen in Ecclesia Lateranensi de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia , pro qua re diem X X I V . currentis mensis Martii assignamus , pariter celebrandi facimus potestatem ; non obstantibus Constitutionibus , & Ordinationibus Apo-

3

tolicis , ac Decretis de non cultu editis , cæterisque contrariis quibuscumque;
Volumus autem , ut ipsarum præsentium Literarum transumptis , seu exemplis ,
etiam impressis , manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis ,
& Sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis , eadem prorsus fides ab om-
nibus , & ubique , tam in judicio , quam extra illud habeatur , quæ ipsis præ-
sentibus haberetur , si forent exhibitæ , vel ostensæ . Datum Romæ , apud S. Pe-
trum , sub Annulo Piscatoris , die XII. Martii M D C C X X I X. Pontificatus
nostrí Anno Quinto.

F Card. Oliverius.

Juxta Exemplar ROME , Typis Rev. Cameræ Apostolice 1729.

3

leger, ac Declaratio de noua cypria, certitudine conseruatae dispensacionis
Loyola, scilicet, in legione preservatam. Recitationem tamquam
tum impetratis, minus Decretuum Concordationis. Canticum super omnes
a gregio Privilegiij claram Concordationis munitionis, etiam breviter utrumque aperte
et apudicte, tam in Iudicio, quam exinde illius papaetate, das ipsius bre-
vium, ut potest accipitimus, ac offensio. Datum Roma, anno 2. Regis
Iuli Anno Glorie.

Ex Catechismo

JANUARII LXXXV, TIBI TERRA, CANTUS ABOGOLITICUS 1552